

§. 8. Non obstantibus contrariis quibusvis generalibus vel specialibus constitutionibus, Ordinationibus et decretis nec non dictionum Tribunalium et officiorum praxi, stylo, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, personarum quoque, locorum et Ordinum, congregationum, societatum, institutorum et militiarum, privilegiis, exemptionibus et indultis, quae supradictae prioris Constitutionis Nostrae executioni decrevimus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiam ad praesentium literarum nostrarum effectum, iterum plenissime et amplissime derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, statutorum et derogationum infringere vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae aequo s. Mariam Maj. anno incarnationis dominicae 1757. quarto nonas Augusti, pontificatus Nostri anno decimo septimo.

J. Card. Pro-Datar. D. Card. Passioneus

Visa.

De Curia S. C. Boschi.

Constit. Bened. XIV. die 2. Aug. 1757.

(Bull. r. t. XIX. p. 286. Ed. Luxbg.)

Procedere possunt Episcopi etiam contra regulares Missas celebrantes et confessiones sacramentales excipientes, antequam fuerint promoti ad sacrum presbyteratus ordinem. Clemens VIII. constitut. incip.: *Etsi alias*; Urbanus VIII. Constitut. incip.: *Apostolatus*. *Vd. p. 474. 475.*

28) Ad triremes damnatus utrum postea celebrare debeat?

Lavellana.

(Conc. Tr. cap. 6. sess. 24. De Ref.)

Sacerdos N. N. de nefando scelere accusatus fuit a curia eminentissimi Urbis vicarii die 31. Augusti 1718 damnatus ad triremes per septenium et licet fuerit transmissus, nunquam tamen remigavit, cum toto tempore dictae condemnationis fuerit addictus servitio hospitalis s. Barbarae, uti habetur ex attestazione Prioris hospitalis. Expleto tempore poenae et praestito laudabili servitio memorato hospitali sacerdos habuit recursum ad SS. D. nostrum pro facultate missam celebrandi et a Sanctitate sua preces fuerint remissae ad hanc sac. Congregationem.

Sanctae mem. Urbanus VIII. die 4. Jan. 1635 sequens edidit decretum impressum apud Corrad. in addit. ad tract. de dispensationibus num. 35. pag. 31. „*ut imposterum tam presbyteri saeculares quam cujuscunque ordinis regulares damnati ad triremes perpetuo vel ad tempus et qui cum effectu fuerint in eisdem triremibus remiges, finito tempore dictae poenae nunquam habilitentur ad exercitium suorum ordinum*“.

De hoc decreto nonnulli dicunt, illud non esse declarativum juris communis nec esse eidem conforme et locum sibi non vindicare extra tribunal sancti officii, cum a summo pontifice fuerit editum in congregatione sanctissimae inquisitionis, uti plene habetur apud Thesaur. de poenis par. 2 in verb. „*missa*“ cap. 5. §. „*Immo hodie*“; sed haec plene refelluntur a *Raynald.* in observat. criminal. cap. 8. §. 1. sub num. 45. Venetae impres. anni 1699.

Aliqui censent, damnatum ad triremes effici infamem infamia juris ex

genere poenae et per consequentiam irregularem, *Navar.* consil. 16. n. 3. et consil. 17. n. 32. tit.: de haereticis, *Ogolin.* de potestate episcop. part. 2. alleg. 43. n. 15., *Guazzin.* ad defens. reorum def. 33. cap. 4. n. 9., *Lezzan.* quaest. regul. tom. I. cap. 16. n. 32., *Ciarlin.* controversiar. foren. cap. 207. n. 73.

At opinio hodie recepta est, quod ex simplici damnatione aut transmissione ad triremes quis non efficiatur infamis nec irregularis, nisi vel actu remigaverit vel fuerit transmissus propter delictum, quod de jure habeat annexam infamiam, uti late prosequuntur *Raynald.* loco cit. sub n. 45 et seq., *Monacell.* in formulario legali tom. 3. pag. 173. num. 13., *Ursaya* instit. criminal. lib. 4. tit. 5. num. 144. et seq., et concordat resolutio hujus S. Congreg. in Comen. dispensationis pro presbytero Josepho Cataneo, qui ad triremes damnatus et transmissus ob armorum delationem, absque eo, quod remigaverit, supplicavit pro rehabilitatione ad ordines, et S. Congregatio, si Sanctitati Suae placuisset, censuit, ut constito, quod non remigasset, esse eum per literas apostolicas ad exercitium suorum ordinum rehabilitandum et restituendum, uti resolutum fuit die 14. Martii 1671 et habetur libro 27 decretorum pag. 54.

His positis nonnulla sunt, quae faciunt contra petitionem oratoris, et signanter, quod Sodomiae crimen annexam habet infamiam, tam de jure civili quam de jure canonico, dummodo sit notorium notorietate juris vel facti, uti plene habetur apud Thesaurum de poenis ecclesiast. part. 2. cap. I. in verbo: Sodomiae.

E contra pro oratore faciunt nonnullae facti circumstantiae latius expressae in informatione Emi Urbis Vicarii, in qua post admissam limi-

tationem supradictam, quod transmissus ad triremes, licet non remigaverit, efficiatur infamis et irregularis, si crimen, propter quod fuit condemnatus, habebat de jure annexam infamiam, haec habentur: „*talis tamen limitatio applicabilis non videtur in casu praesenti, ubi crimen, pro quo orator fuit damnatus, non aliunde probatum remansit, quam ex dicto eorum, qui socios ejusdem criminis se fecerunt, et quidem non coacte, sed ultronee, et qui ultra hanc nobilem exceptionem, ob quam eorum dictum nullis praesertim concurrentibus adminiculis, nullam prorsus fidem facit, alios insuper patiebantur defectus, nedum erant enim vilis conditionis, sed etiam plura deposuerunt inversimilia, in aliquibus contrarii inter se deteguntur ac semper voluntarie accessisse fatentur ad domum inquisiti, quae proinde exceptiones haud satis per leve sibilorum tormentum expurgatae remanserunt. Ad dito etiam, quod in processu nec praesumptiones neque conjuncturae ullae relevantes afferri potuerunt adversus inquisitum, immo ejus favore militabat qualitas sacerdotalis cum quotidiana celebratione Missae, gravis sexaginta et ultra annorum aetas, ac solitum retinendi jugiter apertam januam ejus cubiculi, etiam de tempore, quo ibi visi fuerant pueri, quemadmodum concorditer deposuerunt tres testes repetiti ad instantiam fisci, qui proinde dubitans per inquisitum purgari potuisse indicia, ex dicto correorum desumpta, mediante illius tortura, ad eam noluit devenire, sed consultius existimavit ad triemes damnare eundem inquisitum delictum constanter negantem et ob suam paupertatem penitus indefensum.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An petitis sit annuendum necne?
S. C. C. resp.: Negative.
Die 8. Junii et 6. Julii 1726.

SACERDOTES.

Duodecim in Consecr. SS. Oleorum.

Vd.: *Coena Dom.* (Consecr. ss. Oleorum; *Olea s.* (assistentia).

SS. SACRAMENTA.

(Administratio.)

Vd.: *SS. Sacramentum euch.* (administr.); *Administr. SSrum*; *Parochus*; *SS. Viaticum* (portandum etc.); *Canonici*; *Ritus graecus*; *SS. Sacram. euch.* (distributio); *Extrema Unctio*; *Unctio extrema*; *Moniales* (communio; confessor. extraord.); *Nativit. Dom.* (communio); *Communio frequens.* Vd. p. 496.

Ad dubium: An et cui liceat administrare SS. Sacramentum Viatici et extr. unctionis quibuscunque sive ratione domicilii sive servitii degentibus in Hospitali s. Mariae de crucibus?

S. C. resp.: Licere Capellanis hospitalis.

Die 13. et 27. Junii 1789.

SACRAMENTALIA

in baptismo.

Benedictus PP. XIV.

De ritibus etc. in regnis Madurensi, Mayssurensi etc. Indiarum Orient.

A Sacramentorum administratione exordium sumentes districte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris quam adultis cujuscunque sexus et conditionis omittantur Sacramentalia sed omnia palam adhibeantur et signanter saliva, sal et insufflatio, quae ex apostolica traditione cath. Ecclesia recepit ac ob recondita in his sacris caeremoniis divinae erga Nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodivit, Decreto sanctae universalis

romanae Inquisitionis de anno 1656 pro Sinis facto ob diversas rationes et circumstantias minime obstante.

Die 12. Sept. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 399.)

SS. SACRAMENTUM EUCHARISTIAE.

I. Administratio.

1) In Oratoriis.

Vd.: *Orator. priv.* (missae in variis etc. Bened. XIV.); *Orat. publ.* (Functiones etc.); *Confessionale in Oratoriis*; *Orator publ.*

Ad dubium: An liceat Capellano SS. Eucharistiae Sacramentum ministrare tam inter missarum celebrationes quam in intervallo Missarum?

S. C. resp.: Affirmative inter Missarum celebrationem excepta die Paschatis et communione paschali.

Die 13. et 27. Junii 1744.

2) A Parocho non facienda.

Vd.: *Parochus* (administr. Sacr.).

3) Parochianis alterius Parochiae SS. administrare non licet.

Sacrosancta Trid. Synodus *sess. 24. cap. 13. de Reform.* expresse mandat, ut Christifideles a solo proprio Parocho Sacramenta suscipiant, ibi: *mandat sacra Synodus Episcopis pro tutiori unimarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eos cognoscere valeat et a quo solo licite Sacramenta suscipiant*; utque unus Parochus alterius parociae Parochianis Sacramenta ministrare non praesumat, aperte vetuit *Epistola* relata in *Can. Ecclesias 13. quaest. 1.*, ibi: *Nullus alterius parochiae terminos aut jus*

Clemens PP. XIII.

invadat: Sit unusquisque terminis suis contentus et taliter Ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni judicii ex omnibus sibi commissis rationem reddat; idemque firmant *Anacl. in Jus Canon. lit. 3. tit. 29. num. 3. in fin.*, *Franch. de Eccles. Cathedr. cap. 19. num. 118.*, *Scarfant. ad Ceccoper. tom. 3. Addit. 39. num. 56.*, et *Ricciardel. in licaeo Eccles. cap. 13. §. 2. num. 88. in fin.*, ubi etiam refert resolutionem S. Congregationis Rituum in *Novarien. 12. Jun. 1627.*

(Ex resol. diei 30. Aug. 1777 *Fa-ventina.*)

II. Administrator.

Vd.: *Canonici*; *Parochus*; *Baptismus*; *Episcop. aegrot.* (Administratio Sacrament.); *Regul.* (privil., Ordinario etc.). Vd. p. 496.

Non posse Religiosos administrare Sacramenta in domibus Tertiiorum seu Centuratorum aggregatorum, praeterquam Sacramentum poenitentiae; administrationem vero caeterorum Sacramentorum pertinere ad Curatum. n. 407 ad 2 die 20. Junii 1609.

Non licere Confessario Monialium Sacramenta administrare ministris Monasterii, praesertim degentibus se-junctim ab Ecclesia; private id spectare ad Praepositum. n. 2162 die 1. Apr. 1662.

Omnes Regulares tenentur observare Constit. Greg. XIV. et Clem. X. circa parochialium usum et Sacramentorum administrationem, vd.: *Bullam Clem. XII. die 11. Aug. 1735.* (Bull. r. t. XV. p. 33.)

III. Adoratio.

Vd.: *Expositio SSmi* (adoratio); *Regul.* (adoratio SSmi); *Sumptio SS. Sanguinis* (adoratio). *De Monasteriis Monialium Adorationis perpetuae SS. Sacramenti in Gallia*, vd.: *Bullam Innocentii XI. Id. Decbr. 1676* (Bull. r. t. XI. p. 202).

§. 1. Dudum exponi fecit Nobis Ven. Frater Carolus Episcopus Laodiensis non sua modo pietate se impulsus sed Cleri etiam et populi totiusque suae dioecesis in Augustissimum Eucharistiae Sacramentum eximio cultu et praeclara devotione excitatum, novam quamdam utriusque sexus Christifidelium Confraternitatem sub titulo adorationis perpetuae et orationis SS. Sacramenti canonice exhibuisse; supplices Nobis preces exhibuit, ut quo foveatur in suo populo et amplificetur ejusmodi perpetuae adorationis et orationis SS. Eucharistiae non satis laudanda devotio promoveaturque hoc etiam adjumento salus animarum, auctoritate Nostra Confraternitatem praedictam pro civitate, patria et dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmari atque eandem alteri Confraternitati SS. Sacramenti in Collegiata insigni s. Martini civitatis Laodiensis, quae Archiconfraternitati SS. Sacramenti Urbis est aggregata, unire ipsiusque Confratribus et Consororibus easdem indulgentias, quibus eadem illae Confraternitates SS. Sacramenti fruuntur, elargiri apostolica benignitate dignemur.

§. 2. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, Confraternitatem a praedicto Ven. Fratre Carolo Episcopo Laodiensi erectam pro oratione perpetua in qualibet diei hora ad SS. Eucharistiae Sacramentum pro civitate, patria et dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmamus eamque motu proprio alteri Confraternitati Sacramenti in Collegiata insigni s. Martini ejusdem civitatis Laodiensis ab anno 1575 erectae et Archiconfraternitati SS. Sacramenti Urbis aggregatae unimus et omnes sin-